

tionem, inchoamenti sive *Principii* loco descripsimus: Ut autem *Æstimatio* non inter principia, sed ad principalem scientiam pertineat, si velut *executive* sumatur, pro ut exercetur, cum indistinctæ pariter atque distinctæ rationes ad pondus & ad mensuram exponuntur & exiguntur: *Promissive* tamen & *indicative*, vel *indigitative*, necessum est, ut & inter principia nonnullam ejus faciamus mentionem, ne prorsus hic neglecta pro planè derelictâ, vel pro nullâ, videatur haberi, præsertim ab iis, qui Principiis tantum inhærendo scientias leviùs attingunt.

§. 2. Quapropter, ut quantitatem & æstimationem tum indistinctionis, tum distinctionis, eminus saltem hic inspiciamus, notandum est, quod in corporibus, æquè ac in aliis quibuscunque rebus, diversi gradus inveniantur, quibus indistincta l. distincta ratio conceptibilitatis se determinatè sistit, ut *tanta* l. *tanta* possit æstimari, sive magis absolutè corpus consideres, & totum saltem ad partes suas quas continet referas, ubi *gradus* Cognoscibilitatis *ad intra* deteges; sive magis respectivè totum corpus propositum ad alia quasi Collateralia referas, ubi *gradus* Cognoscibilitatis *ad extra* deprehendes. Utrobique tum *ratione plagarum* ad quas æstimatio respectiva collineat; tum *ratione valoris* & ipsius genuinæ determinationis, quam æstimatio directa vel absoluta petit.

*Gradus indistinctionis ad intra* sunt, qui spectantur in corpore, quatenus concipitur ut MATERIA. Est autem *Materia* vel *prima* vel *secunda*. (En! & hic Numeri se produnt.) *Materia prima* subdistingui potest in *Materiam primò primam*, & *Materiam deinceps primam*.

§. 3. *Primò prima Materia* nihil aliud est, quàm simpliciter omnimodè indistinctus (& simul indiscretus) subjecti conceptus, planè nullâ modalitate connotatâ, dicique potest *Materiale primum* sive *Materia prima Metaphysica*, quâ corporis partes (æquè ac aliæ res quæcunque) concipiuntur, quælibet, aut omnes simul, ut unum quid, ut *aliquid* saltem cogitabile. Quod si partibus indistinctissimè sic, ut *Materia primò prima* præconceptis extrinseca distinctio s. discretio per mentis operationem accedat & imputetur, habebitur in ipso corpore *Numerus ille abstractissimus* omnibus omninò